2

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
MORBILLIS.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini ſubjicit

AUGUSTINUS SMITH,
VIRGINIENSIS,

Societ. Phyſ. Ed. Soc. Hon.
Nec non
Soc. Reg. Med. Ed. Sod.

Nec te poeniteat duros ſubiiſſe labores,
Aut operi inſuetas attenuaſſe manus. TIBULLUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Viro clariſſimo et ornatiſſimo

THOMÆ NELSON,

ARMIGERO,

EBORACI in VIRGINIA degenti;

Qui,

Propter vitae integritatem,

Et

Virtutes multas conſpicuas,

Libero jubente populo,

In ſummum illius reipublicae imperium,

Olim evectus eſt;

Quod,

Cum maximo ſibi honore,

Et

Egregio patriae emolumento,

Per tempora recentis belli graviſſima,

Geſſit:

Parvum grati animi teſtimonium,

Ob beneficia ejus fere innumera,

Et curam vere paternam,

Quacum ille ſedulo,

Per hos decem annos praeteritos,

Mihi

Proſpexit et conſuluit;

‘ Il faudroit d’abord interroger la nature dans le
‘ ſilence des paſſions, attendre ſes oracles ſans les ſup-
‘ poſer; et devenir cent fois ſon obſervateur pour
‘ mériter d’être un fois ſon interpréte.’

De la Philosophie de la Nature.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBILLIS.

MORBI epidemici praecipuam medicorum attentionem mereri videntur, quia per urbes regioneſque omnes tam facile et velociter graſſantur, et tam ſaepe exitium iis, quos invaſerint, afferunt *. Experientia, quae nos in facienda medicina plurimum erudit, nonnulla e frequentiſſimis, et antehac funeſtiſſimis exanthematis mitiora curatura reddi, medicos olim docuit;

A nam

* 'In Inſula Auſtrali occidentali Moa, tertiam hominum partem morbilli interfecerunt; Sidobre de var. et morb.'

nam Sydenhamus dicit; ‘Omni prorſus ‘periculo vacant morbilli, ſi modo perite ‘tractentur;’ et variolae, inoculatione, multum allevantur. Sed cum ratio tractandi variolas plerumque, quam morbillos, melius intelligitur, in hac diſſertatiuncula inaugurali, de his, nihil novi quidem prolaturus, ſed ſolummodo opiniones, quae ſunt juſtiſſimae, vel meis ipſius maxime congruentes, collecturus, ſcribere in animo eſt.

Morbilli, quod de iis veteres Graeci omnino tacent *, Arabibus ſcriptoribus florentibus, primum erupiſſe, a multis exiſtimantur. At cum nullae res monſtrari poſſunt accidiſſe praecipue tunc temporis, quae hanc peculiarem contagionem gignere potuiſſent, potius adducor ut ſequar celeberrimorum Le

* Horſtius autem hoc negat, inquit, ‘Nos tamen arbitramur hanc aegritudinem antiquis ignotam non fuiſſe, et eandem ſub genere των εξανθυματων και εκθυματων ‘bene comprehendi poſſe;’ lib. vi. de morbill. &c.

Le Clerc * et Friend † ſententias, quorum uterque, variolas et morbillos Arabibus cognitos eſſe multo prius, quam Razes vixerit, opinantur. Unum hujus opinionis argumentum eſt, quod Arabes de his morbis, ut recentibus, non loquuntur; quod certe feciſſent, ſi tum primum inter eos apparuiſſent.

Convenit inter omnes, Arabes primos in Europam hunc morbum attuliſſe; nam quo longius et latius ſuam religionem propagarunt, eo plus hi morbi emanarunt. Ab Egypto primum per maritima Africae loca perrepſerunt, et tandem in Hiſpaniam tranſeuntes, per reliquam Europam facile diſperſi ſunt.

Videtur praeterea, veri ſimillimum, illam Europeorum frequentiam, qui in ſeculis undecimo et decimo ſecundo, inſania ſua impulſi, ad Hieroſolymas recipiendas confluxerant, hos morbos ſecum in Europam

* Eſſai d'un plan pour ſervir a la continuation de l'hiſtoire de la medécine.

† Hiſtory of phyſick, vol. ii. pag. 88.

pam retuliſſe, et ita effeciſſe, ut eo citius per hanc mundi plagam diſſeminati fuerint.

DEFINITIO.

Sauvage, qui primus in ſuas claſſes morbos diſtribuere, et ſingulas definitione notare ſuſceperat, in morbillis definiendis, neglexit dicere, quo die morbilli primo erumpant *. Idem Linnaeo et Vogel objici poteſt †. At contra Sagar ſuam definitionem, quam debuit, multo longius protraxit ‡.

Profeſſor Cullen celeberrimus, qui opera omnium reliquorum collegit, et eorum redundantia plerumque coercuit, et quae in iis defecerint, ſupplevit, in hoc morbo definiendo coryzam omiſit; etſi in ſuis Primis Lineis per hanc, et caetera ſymptomata catarrhalia, morbillos potiſſimum diſtinguendos,

* Vid. Synopſ. Noſ. Method. Cull. tom. 1.
† Idem.
‡ Idem.

dos, dicat *. Itaque hoc verbum deſinitioni illius, quam ut longe optimam aſſumpſerim, addidi: ‘ Synocha contagioſa cum ſternu‑ ‘ tatione, *coryza*, epiphora, et tuſſi ſicca, rau‑ ‘ ca. Quarto die, vel paulo ſerius, erum‑ ‘ punt papulae exiguae, confertae, vix e‑ ‘ minentes, et poſt tres dies in ſquamulas ‘ furfuraceas minimas abeuntes †.’

HISTORIA.

Ut Sydenhamus obſervat, morbilli fere ſemper apparent epidemici in hyeme; incipiunt circa initium Januarii, et ante mediam aeſtatem deſinunt. Sed Dr. F. Simmons eos in autumno incipere conſpexit ‡; et ego ipſe per omnem aeſtatem eos durare animadverti. Haec pauca exempla de ſide

* Firſt Lines, vol. 2. chap. 3.

† Synopſ. Noſ. Meth. tom. 2. gen. xxviii.

‡ Diſſert. inaug. Lugd. Batav. edit.

fide accurati Sydenhami non derogant, cum obſervationes illius experientia plerorumque medicorum corroborentur. At, quanquam hyeme vulgo epidemici invadunt, aliis etiam temporibus ſporadici exoriuntur. Quicunque enim contagioni exponitur, niſi peculiari *idioſyncraſia* fruitur, vel morbo antea affectus erat, certe inficietur.

Hominem, niſi ſemel, perraro occupant; ideoque plures pueri quam adulti, ex iis laborant. Praeter haec apparet pueros facilius quam adultos hoc morbo affici. Nam pueros morbillis laborantes ſaepius inviſi, priuſquam ego ipſe iis affectus eſſem, et contagionem vitavi. Neque hoc evenit ob ullum peculiarem habitum meum; nam nonnulli alii itidem morbum effugerant, licet omnes pueri in vicinia afficerentur.

Morbilli, iiſdem ſignis, quae praecurrant phlegmaſias, denunciantur. Æger primum horrore corripitur; corpus frigeſcit; paulo poſt calor ſupervenit; hic calor aegrotum alternis vicibus cum algore ſaepe occupat. Tunc arida et calida cutis, cephalalgia

lalgia cum gravedine, dolor dorſi et lumborum, pulſus frequens, validus, et fere durus, ſequuntur.

Haec ſymptomata cum gravi torpore, anorexia, et vomitibus plerumque comitantur. Secundo die raucitas, cum frequenti ſicca tuſſi, interdum cum dolore, et aliqua reſpirandi difficultate, ſupervenit. Eodem fere tempore, oculi rubeſcunt, et frequentes lachrymas profundunt; palpebrae inflammantur, et multum intumeſcunt.

Notatu dignum eſt, linguam et fauces nunquam areſcere, licet per omnem morbi curſum aeger plurima ſiti laboret.

Quarto die, ſi Sydenhamo credimus, rarius quinto, eruptio apparet; licet aliquando multo citius * aut ſerius † evenit.

Primo, quaſi parva puncta rubra in facie, tunc conferti in pectore, et mox per totum

* 'Praeterea non modo mitius, ſed et citius decur-'rit morbillorum morbus, et ſaepe *primo die*, ut pluri-'mum tamen poſt tertium diem, prodeunt maculae;' Hoffm. 11. 63.

† Gregorius ſenior obſervavit, eruptionem nonnunquam ad duodecimum vel decimum quartum diem poſtponi; vid. praelect. MS.

totum reliquum corpus, morbilli conſpiciuntur. In puſtulis, quae oculis cerni poſſunt, non oriuntur, ſed ad tactum paululum eminere, videntur. Attamen aliquando papulae cernuntur prominere, ut in Actis Medicis Edinenſibus, vulgo *the Edinburgh Medical Eſſays*, videre eſt *. Omnis facies nunc rubeſcit, inflammatur, et multum intumeſcit; atque, oculorum fauciumque inflammatio moleſtiſſima fit.

A faucibus per pharyngen, oeſophagum, ad ventriculum et inteſtina uſque, quidam medicus in inſula Jamaica ſcribens ad Doctorem D. Monro de hoc morbo, ſe ſaepe vidiſſe inflammationem eryſipelatoſam deſerpſiſſe, dicit; et hanc inflammationem, per tracheam ad pulmones expanſam, eſſe cauſam tuſſis, quae fere ſemper tantum moleſtiae aegroto creat per omnem morbum, exiſtimat.

Poſt tertium aut quartum diem, quàm morbilli eruperint, faciei color mutari incipit;

* 'The eruption ſometimes roſe as high as the mild 'ſmall pox on the ſecond day;' Med. Eſſ. Edinb. vol. v.

pit; rutilus rubor fit obſcurior; et tumor ſubſidet. Papulae tunc brevi evaneſcunt; et cuticula in ſquamis, furfuri fere ſimilibus, decidit.

Eruptio ullum ſymptomatum praeter nauſeam et vomitus rariſſime ſublevat; et in hoc morbilli et variolae inter ſe plurimum differunt. Neque ſymptomata ſemper ceſſant, cum morbilli evanuerint. Cute enim deſquamata, ſigna aliter in aliis manent, et tuſſis augetur, donec pneumonica inflammatio, quae pulmonalem phthiſin inducere queat, formetur.

'Hoc peculiare habent morbilli, ait eru-'ditus Van Swieten, quod illis evaneſcen-'tibus, debito quamvis morbi tempore, fe-'bris increſcat, tuſſis augetur, et reſpirandi 'difficultas, imo et ſaepe peripneumonia ſe-'quatur *.' Et tandem miſerrimus aeger, niſi cum ingenti cura ſe tractaverit, a tabe lente marceſcit †.

* Comment. in Boerh. aph. 723.

† 'Morbillis ſaepiſſime ſuccedunt febres lentae, qui-'bus aegrotantes contabeſcunt, nullaque arte liberantur; 'Sidobre, de Variol. et Morbill.'

Diarrhoea aliquando ſub morbi initium accedit; at plerumque tamen non niſi poſt cutem deſquamatam; pueros ſaepius quam adultos afficit *, et crebro eſt ſignum morbi periculoſiſſimum. Cum tanto impetu interdum ingruit, ut omnem medicorum artem eludat. Evenit aliquando, ut ait Sydenhamus, poſt eruptionis deceſſum, ut omnia ſymptomata per paucos dies plurimum ſedentur, et fere prorſus evaneſcant, cum aeger a ſaeva diarrhoea ſubito corripitur, quae ſaepe, niſi cum vita, non deſinit †.

Profuſus menſium fluxus, ſaepius in hoc morbo, quam in variolis, evenit, ſi obſervationibus excellentis Gregorii ſenioris fidamus ‡.

Morbillos fere ſemper ſymptomata ſupra memorata comitantur; attamen quaedam alia abnormia et fortuita ſigna interdum occurrunt. Ita ſubtilis ille medicus Jamaicenſis,

* Greg. ſen. praelect. MS.

† Sydenh. oper. anno 1670.

‡ Praelect. MS.

ſis, ſe, aphthas in gingivis aegri, paucos ante dies, quam morbilli erupiſſent, animadvertiſſe, memorat; et inde morbum optime dijudicare poſſe cenſet. Sed cum nemo, niſi hic, hujus ſymptomatis meminit, illud eſſe potius ſymptoma fortuitum, quod interdum in omnibus exanthematis occurrat, quam hujus unius aſſiduum praenuncium, credo. Duos pueros, alterum variolis, alterum autem morbillis affectum, nuper vidi; et his cum ſumma cura inſpectis, illi in gingivis innumerabiles fuiſſe aphthas reperi; at in hoc ne unum quidem ſentire potui.

Morbilli interdum in brachiis primum erumpunt, ut Sydenhamus * et Van Swieten † aiunt: Signa plurima debilitatis illos nonnunquam comitantur; et febris typhum referre videtur ‡. Aliquando cum febre remittente paludum §; aliquando etiam cum angina;

* Oper. anno 1674.

† Comment. in Boerh. aph.

‡ Lond. Med. Eſſ. obſ. iv. art. xi.

§ Doctoris F. Simmons diſſert. inaug.

angina *; et, ut complures medici dicunt, cum variolis morbilli conjuncti fuerunt †. Hoc quidem celeb. Hunter denegat; nam duas morbidas actiones in humano corpore ſimul exiſtere poſſe abnuit; et ſe noviſſe puerum et variolis et morbillis ſimul expoſitum, ſed actionem materiae variolarum dilatam donec morbilli abiiſſent, et tunc effectum habuiſſe, dicit ‡. At contra ingenioſus Dr. M'Bride ſe vidiſſe variolas et morbillos erumpere eodem tempore aſſerit, his verbis: 'A number of the children (of 'the foundling hoſpital in Dublin) having 'been inoculated for the ſmall pox, in the 'mean while were ſeized with the meaſles, 'and both ſpecies of eruption were per-'fectly diſtinct §.' Experimenta adhuc ad rem dijudicandam deeſſe videntur; cum quod Dr. M'Bride, auctor adeo venerabilis, ſe vidiſſe aſſeverat, rejici non debeat.

DIAGNOSIS.

* Med. Eſſ. Ed. vol. v. art. xi.

† Sidobre, de var. et morb. Et Diemerbroek, de variol. et morbill. hiſt. xix.

‡ Treatiſe on the venereal diſeaſe, introduction.

§ Method. introduct.

DIAGNOSIS.

Rationem deſignandi hujus morbi priuſquam papulae eruperint, reperire haud in facili eſt; quia eadem ſymptomata quam proxime omnia exanthemata praecedunt. Affectus catarrhalis, ad hunc morbum dijudicandum, idoneus eſſe poteſt; ſed ſi reliqua ſymptomata forent mitia, falſo pro ſimplici catarrho accipi poſſet. Attamen poſt eruptionem, haud difficillimum erit, hunc a reliquis hujus ordinis morbis diſtinguere, papularum natura; quae multo minores, et minus prominentes, quam aut variolae aut varicellae ſunt; et ſemper in facie apparent, ubi miliariarum eruptio nunquam cernitur.

Amplae et ſerpentes ſcarlatinae maculae hunc morbum facile monſtrant.

Si una cum his ſignis affectum catarrhalem,

lem, et praevalentis epidemici naturam, conſideremus, diagnoſin certiſſimam facere poſſumus.

Haec ſola exanthemata ullius momenti, quae pro morbillis accipi queant, eſſe videntur.

Affectus catarrhalis a vero catarrho per aridam, et raucam tuſſim, ſuam aſſiduam comitem, internoſci poteſt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Multae conjecturae factae ſunt de illo peculiari humani corporis habitu qui facit, ut tantum ſemel ab hoc, et quibuſdam aliis morbis, affici queat; et adhuc *ſub judice lis eſt*, cur haec humani corporis diſpoſitio ad morbillos recipiendos, a morbi actione prorſus abſumatur. In argumento tam inexplicabili, quicquam, quod placeat, offerri poſſe, vix expectari poteſt; et ſcio, quod relic-

turus

turus ſim argumentum ita perplexum ut accepi, quum cenſeam hanc praediſpoſitionem conſiſtere in peculiari vaſorum ſenſilitate, qua magis idonea ad morbillorum actionem ſuſcipiendam, redduntur; quia tum queri poteſt, quare haec ſenſilitas, actione morbi, abſumatur? Poteſt fieri, ut ratio ſit, nervoſum ſyſtema ita aſſuefieri hujus peculiaris ſtimuli actioni, ut domini Hunter ſermone utar, ut ulteriorem illius actionem ſentire nequeat. Quemadmodum ſyſtema aſſiduo uſu nicotianae aut cujuſvis alius ſtimuli, actionem eorum ſentire fere non poſſit.

Probabile videtur hanc praediſpoſitionem connecti cum ſenſibilitate aut irritabilitate ſyſtematis, quia infantes facilius afficiuntur, quam poſtquam adoleverint; et quia adultus nunc cantagioni impune exponi, et alias infici poſſit. Nimius vini aut veneris uſus, et alia debilitantia quaedam, praediſpoſitionem augere exiſtimantur: Hoc, irritabilitatem adeſſe, cum hae cauſae eam inducant, arguit.

Irritabilitas

Irritabilitas fibrarum muſcularium cum auctu vel diminutione ſuarum virium tonicarum conjungi poteſt : Ita aliquando irritabilitatem morbidam phlogiſticae diatheſi, et alias ingenti debilitati addi cernimus. Exemplum illius in quibuſdam inflammatoriis ; hujus autem in hyſtericis, et qui vocantur, nervoſis morbis habemus. Phyſiologis nondum innotuit quibus contrariis nervorum ſtatibus, hi ſimiles effectus producantur.

Noſter celeb. Profeſſor Monro aliquid nervis a vaſis piae matris derivari, unde nutriantur, et ad agendum aptiores fiant, ex aliquibus ſuis experimentis putat *. Sed quodcunque fuerit, fieri non poteſt, ut majore quantitate in debilitanti vaſcularis ſyſtematis ſtatu, nervis communicetur : Ideoque ſenſilitatem cum debilitate conjunctam explicare nequit.

CAUSÆ

* Obſervat. on the nervous ſyſtem.

CAUSÆ EXCITANTES.

Hunc morbum a ſpeciali contagio oriri, inter omnes conſtat. At quomodo haec cauſa in corpus humanum agat, tam facile reperiri non poteſt. Ex illius effectibus id agere pro ſtimulante oportere, ut credam adducor. Itaque ergo hunc ſtimulum agentem in illam peculiarem nervoſi ſyſtematis irritabilitatem, vaſa in ſpecificam inflammatoriam actionem redigere credo; unde morbillorum materia formata, et cum perſpiratione in cutis et pulmonum ſuperficiem derivatur, ubi inſignem inflammationem, a qua pleraque morbi ſymptomata pendent, praecipue excitat. Symptomata tamen inflammationis, pro univerſis ſyſtematis viribus, plus minuſque violenta erunt. Quamobrem pueri, caeteris paribus, morbum, quam adulti, mitiorem habent.

CAUSA PROXIMA.

Contagium peculiarem actionem inflammatoriam in ſyſtemate excire diximus; hanc autem actionem, illius ſymptomatum concurſus, quae fere ſemper morbum comitantur, proximam eſſe cauſam ducimus. Sed nonnulli, vaſa, ullam aliam, quam contractionis et dilatationis actionem, habere poſſe negarunt, et quidem aliam oſtendere nequeo. At cum varii effectus in hominis corpore exhibentur, quos ſola vaſorum contractio explicare nequit, varias certe illius actionis modificationes concedendas, puto. Nam, ſi actio vaſorum renum et hepatis ſit praeciſe eadem, quomodo, ex eadem ſanguinis maſſa, urina in altero, bilis autem in altero organo ſecernatur, comprehendere non poſſumus.

Doctor Monro, e peritiſſimis noſtri ſeculi phyſiologis, in praelectionibus ſuis, docet,

cet, vaſa ullius partis, e. g. mammae, in ſuis actionibus ita immutari poſſe, ut vitioſam actionem ſecernentem recipiant, et vice organi glandularis fungentia, acrem materiam ita parent, ut omnes vicinas partes corrodere, et cuncta cancri ſigna exhibere poſſint. Plerique phyſiologi nunc videntur etiam cenſere, pus a vaſis inflammatis ſecerni; ſed non quiſque inflammatorius ſtatus ſecernit; itaque peculiarem vaſorum ſtatum eſſe oportet, qui hoc unquam efficit. Attamen, ſi concedatur vaſa ullius unius partis, actionem ſuam ita mutare poſſe, ut organum ſecernens fiant, intelligere non poſſum, cur haec idea omnibus ſyſtematis vaſis, ſi ſatis cauſae adſit, extendi nequeat.

Quare hanc peculiarem actionem in morbillis ſubeſſe, unde morbilloſa acrimonia paretur, et eam perſpirabili materiae adjectam, in cutis ſuperficiem et pulmones ejici, ubi inflammationem, tuſſim, &c. generat, exiſtimo.

CURATIO.

CURATIO.

Quomodocunque de morborum cauſis diſceptamus, curatio noſtra, per experientiam, illam fidam ducem, quam ſequi oportet, ſemper dirigi debet. Et cum remedia, quae praeſcribebantur a ſupra dictis cauſarum opinionibus, convenire omnino videntur cum experientia, cauſae allatae ſaltem veri ſimilitudinem habere apparent.

Proximam hujus morbi cauſam, unde ſymptomata proxime afferuntur, peculiarem inflammatoriam totius ſyſtematis actionem eſſe; et per illam actionem acrem materiam effundi in certas ſuperficies, unde aliquot peculiaria ſymptomata gignantur, diximus. Quare noſtrae indicationes oportet, ſint,

1*mo*, Univerſae inflammatoriae actionis impetum moderari; et,

2*do*,

2*do*, Peculiaria ſymptomata ſedare aut removere.

1. Ratio haec efficiendi poteſt eſſe duplex, aut morbidae cauſae derivationem, quam vaſorum irritationem protrahere exiſtimamus, augendo; aut vires vaſorum confeſtim, per evacuationes, minuendo. Si evacuationem materiae morbillorum adaugere conaturi ſumus, rationi, qua natura eam expellit, animum vertamus oportet.

Exitus huic materiae a natura comparati, quibus perſpiratio tranſit, iidem eſſe videntur, quod ibi illius effectus praecipue conſpiciamus. Ita, naturales perſpirationis meatus ſunt per cutem et pulmones, partes a morbillorum acrimonia ſpecialiter affectas. Cum perſpiratio in corporis ſuperficie obſtruitur, pulmones, et, ut Sanctorius dicit, inteſtina, quantitatem fluidorum multo majorem ſolito effundunt *. Cum morbillorum

* Videas etiam Halleri primas lineas phyſiologiae, ubi ita loquitur: ‘Perſpirabile Sanctorianum adeo tenue, ‘frigore ad vias urinae, medicamento adhibito, metu, ‘ad inteſtinorum villos excretorios deponitur;’ cap. vii.

rum eruptio citius quam oportet evaneſcat, pulmones et inteſtina praecipue afficiuntur; tuſſis augetur; diarrhoea ſupervenit, aut, ſi jam adſit, ingraveſcit. Ab his ſignis meatus per quos haec materia derivatur, eſſe eoſdem, quibus perſpiratio exhalatur, comperimus; et hinc ſequitur, quodcunque alteram obſtruxerit, ab eo alteram affectum iri.

Ex obſervationibus et experimentis ingenioſi domini Alexander Edinenſis, perſpiratio, vel actione vaſorum nimis violenta, vel eorum nimia debilitate impeditur. Sunt igitur duo corporis habitus, qui noſtro conſilio hic obſtare queant. At cum morbilli raro cum debilitate conjunguntur, ad obviam eundum nimiae ſyſtematis actioni praecipue attendam; hoc morbidae materiei expulſioni favebit, et ſimul ſecundae rationi hujus indicationis peragendae reſpondebit.

Remedia huic indicationi idonea ſunt,

1. Regimen antiphlogiſticum, in quo potius calorem vitare, quam frigus admittere debemus; quia fere omnes medici, frigus nocere

nocere in hoc morbo conſentiunt. Ratio videtur eſſe, quod perſpirationem, et idcirco morbillorum materiae derivationem, impediat.

2. Sanguinis emiſſio, certiſſima et prompta via, tonum et phlogiſticam diatheſin vaſcularis ſyſtematis diminuendi, eſt praecipuum remedium, cui fidere debemus.

Aliqui ſentiunt, ſanguinem non oportere in initio morbi emitti ita profuſe, ut febris ſtatus indicare videatur; quia, ſi in progreſſu vel ſub morbi finem, pneumonicus affectus eveniat, non liceret ſanguinem emittere, ut ſublevaretur, ſi in initio aegrotus multum ſanguinis amiſerit.

Attamen pneumonia cum totius ſyſtematis debilitate rariſſime conjungitur; itaque, ſi plurimum ſanguinis in initio amittatur, non eſt quod pneumoniam in progreſſu morbi timeamus. Sed etiamſi pneumonica ſymptomata poſt plurimas evacuationes apparuerint, exorirentur potius e locali pulmonum irritatione, quam ex univerſa diatheſi; et forte melius a topicis remediis, ſcil.

ſcil. ſcarificationibus, veſicantibus, ſuffimentis, cum mucoſis expectorantibus, &c. ſanarentur. Itaque pro febris magnitudine plerumque mitteretur ſanguis; cum omne periculum morbi hinc oriri videtur, ſi diatheſin nimias vires aſſumere patiamur. Et receptum eſt, eſſe multo melius praecavere quam amovere periculum: Hippocrates ait, 'Si quid per initia morborum movendum 'videtur, movete *.'

3. Salinis aut oleoſis, et mucoſis catharticis. Tantum materiae morbillorum non exſudatur per cutem, quantum in variolis; quare pulmones et inteſtina plerumque magis afficiuntur in illis quam in his. Cum cuticularis derivatio ab alvina minuitur, plerique medici alvum ciere prohibuerunt, donec morbilli evanuerint. At Dr. Monro, in ſuis praelectionibus, hanc cautionem minime eſſe neceſſariam; et ſe ſcire, ſua ipſius experientia, nos uti poſſe lenibus catharticis per omnem morbum, cum multa utilitate,

* Aphor. 29. ſect. 2.

utilitate, dicit. Sed, quoniam inteſtina, ob inflammatoriam ſyſtematis diatheſin, valde irritabilia ſunt, in eligendis catharticis multum cautionis adhibendum eſt. Salia media, manna, et oleum ricini, maxime idonea ad inteſtinorum ſtatum eſſe videntur.

Quantumvis dubius catharticorum uſus fuerit tempore eruptionis, nullus dubito, quin utiliſſima ſint cathartica, ſi forte morbilli ante debitum tempus receſſerint. Duo caſus Hoffmanni huic opinioni plane favere videntur. Duo homines, ait, a morbillis laborantes, aliquo fortuito eorum, ante ſuum tempus, receſſu graviter affligebantur: Alter eorum, cito, poſtquam morbilli evanuiſſent, a diarrhoea affectus, convaluit; alter autem, ſine ulla evacuatione hujuſmodi, mortuus eſt *.

Attamen purgantia in quibuſlibet receſſibus minime indicantur, quod a nimia ſyſtematis debilitate evenire poſſunt. Ibi, ſtimulantia, et tonica maxime profutura, videntur.

* Tom. II. pag. 65. obſerv. ii. et vi.

dentur. At in his receſſus caſibus, quacunque de cauſa, inſtaurationem cuticularis evacuationis nunquam obliviſci oportet. Talia igitur exteriora remedia, quae interiorum efficaciam non impediunt, uſui futura ſint. Ex iis quae ſunt plerumque utilia, ſunt veſicatoria, et lavatio aut partis, aut totius corporis, in aqua tepida, &c.

Hae generales obſervationes primae noſtrae indicationi ſufficiant.

Symptomata maxime metuenda ſunt pulmonum affectus et diarrhoea. Æger ſaepiſſime ſub iis moratur in longum tempus, poſt morbillorum deceſſum, niſi illum mors doloribus praeripiat: Haec nimis ſaepe medici peritiam eludunt, niſi ſatis curae adhibeatur, in primo morbi ſtadio, ne radices nimis firmas agant.

Pauca igitur de his duobus dicam, et primum,

De Tuſſi.—Cauſa hujus ſymptomatis, et in univerſum pulmonum affectus, in primo morbi gradu, eſt, ſine controverſia, inflammatorius organi ſtatus; itaque a medicaminibus

minibus in priore indicatione memoratis, multum ſublevabitur.

Sed tuſſis in ultimo morbi gradu et poſtea, ut exiſtimo, ab irritatione fere prorſus oritur. Poſt diuturnam hujus morbi continuationem, naturales ſecretiones non fore mitiſſimas expectare licet; ſed cum aliqua morbillorum acrimoniae pars per pulmones, cum ſua naturali excretione tranſit, in ſua irritabili conditione, quam a praecedente inflammatoria diatheſi contraxerant, moleſtam tuſſim excitum iri, certe expectandum foret. Haec tuſſis tamen eſt moleſtior, quo magis illa diatheſis praevaleat. Quamobrem ſi quae inflammatorii habitus ſigna poſt morbum remanſerint, ſanguis cum ſumma utilitate emitti poteſt. Fauces a medicamentis mucoſis illinendae, et alvus leniter ſolvenda. Sed, ſi non magnum inflammationis ſignum eſt, nullum medicamen ad tuſſim leniendam, diminutione pulmonum irritabilitatis, aptius, neque quod libentius ſuaderem quam opium. Huic medicinae in pulmonalibus morbis, proclivitas ad ex-

pectorationem

pectorationem obſtruendam, antea objecta eſt. Attamen, licet in quibuſdam caſibus hunc effectum habuiſſe videatur, tamen in hoc, ubi expectoratio eſt aut exigua, aut nulla, nihil tale extimeſcendum. Et, ne multa dicam, ubi nulla inflammatoria aut pulmonalia ſymptomata prohibeant, opiata eſſe maxime idonea, in hoc, et omnibus aliis exanthematis, et ad tollendam irritationem, et ad anxietatem ſedandam, cum Culleno egregio, cenſeo.

Tuſſis interdum poſt morbillorum diſceſſum multum augetur. Ratio hujus poteſt eſſe, quod fluida nunc majore quantitate in interiores partes deriventur. Hoc, cum cutis obſtructione ex cuticulae ſiccitate et ſordibus, excretionem per pulmones augebit. Hinc irritatio, et idcirco tuſſis, augebitur. Et nunc fortaſſis, praecipua cura nobis, ad inſtaurandam perſpirationem intendenda eſt. Quamobrem aeger idoneo regimine, tepido balneo, et frictionibus cutis, utatur; frigus et humidum nocturnum aëra ſedulo effugiat; in ſereno et ſicco aëre

modice

modice ſeſe exerceat. Itidem opio et medicamentis mucoſis, ad tuſſim compeſcendam, uti debet. Diaeta ſit lac, cum aliquantula recenti carne, pro prandio.

Diarrhoea.—Nihil in medicina magis compertum eſt, quam inter corporis ſuperficiem et inteſtina conſenſus. A libris illuſtrium virorum Sanctorii et Hales, derivationem per pulmones et inteſtina augeri, quandocunque eadem per corporis ſuperficiem diminuatur, novimus. Hinc niſi morbillorum acrimonia per cutem facile meabit, inteſtina plurimum affectum iri ſcire licet: Quando e corpore cum perſpirabili materia eam derivari demonſtravimus.

Sed a quibuſdam diſſectionibus hanc materiam per inteſtina tranſire praeciſe probatur. Fernelius ait, ‘ Quoſdam ab interitu ‘ diſſectos, quibus jecur, lien, pulmones, ‘ omniaque interiora, haud ſecus atque cu- ‘ tis ſordidiſſimis papulis manantibus ſcate- ‘ terent *.’ Complures diſſectiones in Boneti

* De abdit. rerum cauſis, lib. ii. cap. xii.

ti Sepulchreto memorantur, in quibus eruptio variolarum morbillorumque in abdominalibus viſceribus animadvertebatur.

Itaque, cum fluxus hujus acris materiae per inteſtina ſit magnus, ad auctam actionem ea irritabit, unde diarrhoea orietur. Sed cum fluida ad corporis ſuperficiem in primo eruptionis gradu determinantur; et cuticularis fluxus eſt tunc ſatis amplus; non eſt ita veriſimile, diarrhoeam accidere tunc, ac poſtquam eruptio evanuerit.

Si hoc ſymptoma cum ulla vehementia in morbi initio ingruit, compeſci oportet. Hoc fortaſſe ex magna parte, a remediis in noſtra prima indicatione commendatis efficietur. Attamen, ſi adhuc manet, mucoſis et adſtringentibus medicamentis uti debemus; et ſi haec nos fallunt, opium ſaepe exoptatum effectum producere reperietur.

Cum a morbo ſequitur, Sydenhamus ſanguinis miſſionem, ut praeſtantiſſimam ejus curandi rationem, commendat. At ſi ſanguis in morbi initio liberius emiſſus fuerit, vix exiſtimem nunc iterari oportere, niſi aliquod

liquod aliud ſymptoma eum deſideraverit. Nam hanc diarrhoeam ab inteſtinorum irritatione, quae fit propter perſpirationis obſtructionem, et ad ea auctam determinationem, plerumque pendere putamus. Haec opinio, in re fere omnibus nota, pueros eſſe ad hanc diarrhoeam procliviores, quam adultos, fundatur. Hoc aliter fieret, ſi a phlogiſtica diatheſi penderet.

Remedia igitur indicata videntur eſſe mucoſae injectiones, et medicinae hujuſmodi ab ore acceptae, cum liberali uſu opii, et tonicorum, una cum regimine, quod, cauſa ſupradicti ſymptomatis, commendetur: Neque unquam inſtaurationis cuticularis fluxus obliviſcens; Sanctorius enim ait, ‘ profluvium alvi tollitur iis, quae perſpirationem augent *.’

* Aphor. xcii.

F I N I S.